Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotio Philos. Ordinis
1664 VIII. Aprilis



6.

Krauzowski Blasii Ignatii: Votivus corona-
rum nexus ingeniis XX primae lau-
reae Candidatis — dedicatus.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0001099


V
B
J
C

VOTIVVS CORONARVM NEXVS,

INGENVIS XX. PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATIS,

Dum

Per Excellentissimum ac Doctissimum Dominum,

M. JOANNEM MACHATAR

Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Minorem,

IN

CELEBER: ACADEMIÆ CRACOVIENSIS PARNASSO

Primâ in Artibus & Philosophia Laureâ ritu solenni

INSIGNIRENTVR,

Amoris & gratulationis ergò

A

BLASIO IGNATIO KRAVZOWSKI

ejusdem Laureæ CANDIDATO,

Festiuo Cytharæ Applausu


DEDICATVS.

Anno Domini, M. DC. LXIV. Die VIII. Aprilis.

****

CASIMIRIÆ ad CRACOVIAM,
In Officina Typographica BALTHASARI SMIESZKOWICZ Typographi.

In Stemma
Illustrissimæ et Vetustissimæ Domus
Przyiemsciorum.



Multarum domitrix fertur Dictynna ferarum,
Quam tamen hæc vicit mascula Virgo Deam.
Conficit illa feras iaculis, vrgetq; sarissis
Vrsam, Virgineâ sed domat ista manu.
Robora quanta virûm sint? hoc de stemmate cense
Virgo trucem potuit si domuisse feram.

Andreas Treterus stud. Poet.



ILLUSTRISSIMO DOMINO, D. PETRO A PRZEYMA PRZYEMSKI, CASTELLANO SREMENSI DOMINO AC PATRONO FAVENTISSIMO,



C Oronas Academicæ Iuuentuti textas, Tuo Illustrissime Domine, non tàm capiti fero, quàm Dexteræ; neq; enim Senatorium verticem vmbratilibus fas duxi innectere Coronis, cui Regalis etiam Diadematis pondus fidenter incumbit. Phæbus licet & Hercules, cæteraq; mentitæ Deitatis colluuies, ambitioso quondam pares coronas quæsierint certamine, infra Tuum tamen illæ subsident Genium, quem felicissimus Sarmaticæ Maiestatis Iuncus, Coronato ambit Vimine, & in Regalium consortia adlectum curarum, leuandi Diadematis honore dignatur. Ludere duntaxat Coronis nostris poteris, ante Dexteram Tuam (quam Agoni Olympijsq; nostris Patronam poscimus) depositis; quæ tanto splendidiore cinctu Laureata circumient capita, quanto plus ab inclyta Magni Dynastæ manu decoris deriuabunt. Vel ipsa Gentilitia stirpis Tuæ Virago, disiecto circum crine libera, nescit aliud nec patitur, Capitis Ornamentum, præter id, quod de Munifica Dominantium tractum manu,

Augusto

Augusto hodieq; vertice circumfert. Licuerit alijs Externas hactenus prensasse Coronas, PRZYEMSCIANÆ *Propaginis æternus honor est fide ergaDominos coronari & Capita sua alteri quam domesticæCoronæ non submittere. Quam multorum auidas mentes nuper, Trina illa Septemtrionis rapuerant Diademata? vt vel inde seruiles animos disceres, quòd tam facile sub alienis, venales prostarent Coronis; cæterùm Gentilitia Virgo Tua nunquam aduenarum fauoribus obuia, etiam tum intra Natiuæ conscientiam ac decus hæsit Coronæ, & innodem capitis cæsariem, nullo externæ Fasciæ implicuit nexu. Quidni enim Sueticam dedignaretur Arcton vrsarum domitrix, ac illi quoq; quæ pigro vrgetur Boote formidanda? quidni fallacia peregrinæ potestatis fastidiret crepundia, digniore iam olim Regij Diadematis insignita crinili Satis semper* PRZYEMSCIANÆ *virgini ad gloriam fuit, quòd summus Regni nostri Apex, non modo capiti eius ad ornamentum, sed fideli etiam gremio ad tutamentum, sæpius concreditus sit, atq; fessa curarum mole suprema Maiestas in huius sese virginis constantiam Externorum procorum amoribus prorsus imperuiam, securè inclinarit. Hoc in Magno Tuo Parente, hoc in Teipso Suppari Filio palam vidimus; dùm illo quidem summum totius Aulæ Magisterium tenente, Regales fasces, tanti Mareschalci innixi Lituo pulchrius effloruêre. Te verò ad Sremensem euecto Curulim,* SERENISSIMVS JOANNES CASIMIRVS, *optimè gloriæ perennitatiq; suæ consultum putauit, quod in fide Integritate, Prudentiaq; Tua, eandem deposuit. Regalis itaq; Diadematis assecla, Regali itidem Diademate cinctæ Virgini Tuæ, quid ego lectas ex hispidis Camænarum iugis ingeram coronas? & Augustum verticem indigestâ sertorum mole onerem veriùs quam honorem? Pedibus tantæ virginis aduoluatur licet tota hæc Coronaria strues, idq; suo magis quam illius Bono, ne ex vmbra Academica in solem prolata ac Lucem, sine protectrice vmbra emarcescat. Hanc vmbram dum supplex mihi meisq; laboribus ambio, inculto etiam operi, quodq; hyberno effotum est in frigore, sub Senatoriæ Tropico Protectionis, ver nouum, ac virorem vigoremq; suum accessurum spero; ea enim Gentilitiæ Virginis Tuæ dos est vt quidquid calcauerit id Rosa fiat.*

Jllustrissimæ Dominationis Tuæ

æternùm deuotus

BLASIVS IGNATIVS KRAVZOWSKI; Primæ Laureæ Cand.



MAGNÆ
CÆLORVM TERRARVMQVE REGINÆ,
Duodecim Stellis coronatæ,
Magnorum fasciâ meritorum reuinctæ.
Diademate omnis Gratiæ, & omnis pulchritudinis redimitæ,
MIRACVLOSÆ DEIPARÆ VIRGINI MARIÆ,
IN ZDIESZ AD BOREK,
Thronorum & Poteſtatum
DOMINÆ.
Ante cuius Thronum mittit coronas ſuas Poëta.


Vid juuat caſtam redimire frontem?
Parua lapſurîs citò Sêcla donis?
Quis Tuo dignum diadema Virgo
Vertice fixit?
Cuî caput Phæbo radijs coruſco
Splendet: inſignis facies decoris
Plena; biſſenis facibus micantes
Proijcit ignes.
Cynthiæ cornu pedibus recuruæ
Subjacet; Titan famulatur, altam
Circuit frontem, varijs refulgens
Flamma lapillis.
Virgo millenis ſpecioſa donis,
Arca Cælorum, Genitrixq; MAGNI
Numinis, pulchros cui lambit ipſa
Gloria crines.
Splendor auroræ tenet innocentis
Purpuram vultûs: nitidoſq; paſſim

Spargit aſpectus: decus omne caſtâ
Fronte redundat.
Quid coronatam Tibi nunc cateruam
Sub jugum mitti faciam, ſuperni
O Poli Princeps; pedibuſq; ſubdi
Serta benignis.
Cujus ad nutum riget amnis Orci,
Cælites parent, regimenq; MAGNæ
Præſidis nôrunt, Dominamq; adorant
Millia Diuûm.
Attamen vates agitatus almi
Spiritu Phœbi; pia vota noſtræ
Audeo Muſæ TIBI ſancta, ſupplex
Mittere Mater.
Cerne Pimplæum decus, & coronæ
Laureæ munus cape, Magna Princeps,
Atque calcatis pede ſerta, noſtris
Frontibus inde.

CLARISSIMIS, ET EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,
Clariſſimo & Admodum Reuerendo Domino,
M. SIMONI STANISLAO MAKOWSKI,
Collegæ Majori, Artiſticæ Facultatis DECANO, Canonico ad
S. Annam, Concionatori in Eccl: Cath: Crac.
Clariſſimo & Doctiſſimo Domino,
D. MARTINO RADYMINSKI, Collegæ Majori,
Profeſſori Tradnowiano.
Excellentiſſimo ac Doctiſſimo Domino,
M. JOANNI BROZENA, Ph. Doct. & Profeſſ: Collegæ Min.
EXAMINATORIBVS Laureæ noſtræ digniſſimis.
Coronam Gloriæ & Sapientiæ vouet Auctor.

Iam

JAm iam Camænæ congeminent melos,
Dulciq; plectro iam resonet Chelys;
Apollo Musas cogat omnes,
Conueniant Triuiæ sorores.
Vos Laureati Thespiadum Chori,
Nostris daturi præmia frontibus,
Adeste Principes, Virisq;
Promeritas numerate Laurus.
Sophûm, MAKOWSKI fax rutilans; viris
Dilecte magnis; Eloquij decus
Sacri; Stagyræ, floridæq;
Grande iubar Charitum Coronæ.
Est magna docto res Choro Apollinis
Iungi, Stagyræ Castra gubernio
Suo tenere, totq; celsis
Eminuisse sophûm cateruis.
Hoc præstat ingens cura, laboribus
Immersa duris: atq; scientiæ
Penu refertum, quod Sophorum
Summus apex veneratur in Te.
Quid Te Mineruæ sauromatûm iubar
O RADYMINSKI! quidue BROZENA Te
Sydus Mathe,eos coruscum
Cecropio memorem corymbo?
Vos æuiternis gloria laudibus
Feret decoros; vos Helicon sacer,
Cyrrhæq; fontes eruditi,
Plectraq; Pieridum loquentur.
Vos dona magnæ Sauromatum scholæ,
Augusta doctis munera frontibus,
Gazâ fouetis literatâ;
Promere Pegaseas coronas.

Soli potentes, florigerum Nemus
Plantare; Sacrâ cingere Delij.
Caput coronâ: quò reuincti
Temporibus recinamus Io!
Ergo Coronas qui modò Olympicas,
Nostro vouetis texere vertici,
Vos summa virtus, vos perenni
Cinget honos, memorandus æuo.

EXCELL: AC DOCTISSIMO DOMINO,
M. JOANNI MACHATAR, Coll: Minori, Phil: Doct.
& Professori, PROMOTORI dignissimo,
Coronam vitæ apprecatur Vates.

O Quo Pierij justissime Censor honoris
Gloria te celebrabit æuo?
Aut quæ fama tuum pulchro per plurima ductu
Sæcula, Nomen in astra voluet?
Stoæ MACHATAR decus, excellentius omni
Sydere, deliciumq; Musæ,
Effusis dùm nostra cohors Te spectat ocellis
Adproperatq; inamœna Phæbi
Templa: sacro velut ecce sonas de culmine Pindi
Jnclyta munera dans coronas.
Eximium te Phæbus habet; te sancta sororum
Turba, choriq; jubar mitrati
Condignum resonat; qui fultus Apolline dextro
Nos meritis decores coronis.
Quod dùm Palladij præstas in fronte Senatûs,
Oreq; Nectareo triumphas;
Mille Tibi plausus, meritæq; Encomia laudis
Ingeminat sacra turba vatum;

Proq;

Proq; Coronarum dono, queîs Tempora nobis
Cingis ouans, Academiæq;
Nos sobolem reddis genuinam, dant Tibi vitæ
Perpetuò viridem coronam,
Immortale decus, longissima quod Tibi Sêcla
Nestoreamq; ferat senectam.

I. V. D. JOANNI LOCHMAN, Cracou:
CORONAM OLVMPICAM.

Hæc solita fuit conferri in certaminibus Olympicis, in honorem Iouis institutis. Fiebat autem ex ramis arboris Callistephanos, quam Aristoteles vult esse oleam ab Hercule plantatam,

Offert Poëta,

LEMMA. Sudor insignes iter ad coronas
Monstrat. *Mant. Poeta.*

INclyti proles generosa Craci
LOCHMAN, Arctoæ genuina Musæ
Cura, Dicteus cui serta texit
Iuppiter ipse.
Quid Sophocleis celebrem cothurnis
Te decus Phœbi? Cytharâq; vatum
Dona decantem? cui destinatum
Omine fausto
Iure debetur diadema, mensq;
Artibus pollens, sibi nexa poscit
Serta: sublimesq; animi ferunt ad
Sydera dotes.
Te Patris clari memoranda virtus,
Vrbis augusto residens Senatu,
Extulit, quam Tu meritis, Tuoq;
Nomine adauges.

 Dignus,

Dignus, auratam cui pondo centum
Pendat ex alta DEVS *arce mitram;*
Quo pius ſtrinxit Macedo ſtatori
Tempora voto.

Sudor hinc multas Tibi literati
Pulueris doctas numerat Coronas,
Herculis plantæ ſimiles, amicæ
Symbola Pacis.

Quêis coronatus, Sophiæ togatos
Inter Athletas, potiore præſis
Cæteris lauru, ſuperans Olympum
Præpete famâ.

Sic Tibi magnus Pater ipſe vota
Delius ſpondet, meritiq́ grata
Annuit Laurus, Tibi quæ perenni
Frondeat æuo.

II. V. D. BLASIVS JGNATIVS KRAVZOWSKI,
CORONA GYMNICA à Concandidato ſuo inſignitur.

III. V. ac R. D. MATTHIÆ FRANCISCO STAWIARSKI,
Sacri Ord: Præmonſtr: Conuentus Hebdouienſis Prof: Can:
CORONAM IOVIS conſecrat Vates.

Vt cuiq́ Numini ſacra erat arbor, ita eius frondis Corona habebatur in honore ait Timmachidas in lib. de Coro. Ioui Eſculus ſacra erat teſte Plin. lib. Nat. hiſt. 12. cap. 1. quòd cùm eſſet glandifera, & eius fructu, aureâ illà ætate veſcerentur homines, religionis eſſe putârunt ex ea illi ſacrata coronas ſtruere, qui eos defectu frugum hac arbore ſuſtentauit.

LEMMA. Deſtinet Æthereus cui ſua ſerta Pater, *Mart. lib. 9.*

QVando vireta Gratiarum florida,
Dilecte STAWIARSKI pio ſcandis pede,

Te non amænis nec rosis, nec lilijs
Cerno reuinci, non fragrantem carpere
Nardumq;, Narcissumq; tinctum purpurâ.
Insueta fers, sed magna felix munera,
Nam fronde cingi quid notat quæso Jouis?
An non sacratâ fasciâ, pium Dei
Cultum, ligato connotare pectore?
Quem castus ordo destinauit Laureis,
Expertus omnis in DEVM mentis piæ,
Et Laureatorum cohors non altero
Te debuit beare laudis munere,
Quam quod Sacrata connotarent præmia,
Tuæ indoli sic debita, & scientiæ.
En quam innocentis pectoris modestiá!
Morumq; præclaris renides dotibus!
Jouis coronâ cingier dignissimus;
Quam prisca quondam seculorum antiquitas
Jgnara fastûs, prætulit regalibus.
Hac tu coronâ cinge frontem candidam,
Cætûs sacrati dulce germen: Candide
Ocelle Phæbi. TeCamænarum cohors
Jam cuncta suspicit, manusq; dulcibus
Plectris adaptant; ipsa Præses Craciæ
Scholæ Minerua Te reuincit esculeô
Serto: quod æui Symbolon fert aurei,
Mentemq; casto corde quòd circumferas
Præsignat auream. Proin iustissimè.
Magnus Deorum Te coronat verticis
Sui decore, ceu futurum sacri
Perenne STAWIARSKI decus quondam ordinis.

IV. V. D. STANISLAO MICHNIEWIC, Crac.

CORONAM SOLIS, deuouet Vates Entheus.

Deducitur ab illo Roberti Scotiæ Regis euentu, qui Apuliâ occupatâ reperijt statuam Coronâ redimitam cum inscrip. Kal: Maij, Oriente Sole aureum caput habebo. Quidam è Thracia primâ die Maii, notatâ vmbrâ, quam dabat caput statuæ ad ortum Solis, reperit ingentem thesaurum.

Bonfin. dec: 2. lib. 2.

LEMMA. Exorior Phæbo.

IDæa non hîc marmora cernimus,
Pictis reuinctas non statuas Mitris;
Virtutis hîc stat viua imago,
Castalidûm redimita Lauru.
Eunte Maio clariùs vt Pater
Vultus per orbem criniger explicet;
Non est quod expectes, vt vmbra
Barbarici notet omen auri.
Non vnde captes Threijcium penu
Solerte curâ, sæpiùs exigens.
Recludat vt tellus latentes
(Quas prohibet) reserare gazas.
Ipso bicornis lumine Cynthiæ,
Magis coruscat lumen amabile
Virtutis, ambiens fodinas
Interius pretiosiores.
Quos Dux Stagyræ repperit anxius,
Et quas Senatûs cura Academici
Cognouit in Te, examinando
Nobile depositum laboris.
Ergò Coronâ clarus Apollinis,
Auri nitorem sparge per Inclytos

Crac

Crati Penates, nec sub vmbrâ
Viue dein; sed orire Phœbo.

V. V.D. CASIMIRO JOANNI BRZYKWINSKI, CORONAM ILIGNEAM offert Poëta.

Romanis erat magnum virtutis decus ex Arbore Ilice, de cuius folijs Poetæ mella stillare aureis illis Saturni temporibus commenti sunt; vt scribit Ouid. Lib. I. Metam. Flauaq; de viridi stillabant Ilice mella.

LEMMA. Jlex plena fauis venturæ præscia Laurûs. Claud. de rap. Proser. lib. 2.

OPtima te tetigit sors, Optima.
Jmò & serta mereris,
Optima mi JOANNES.
Optimus Aoniæ Ciuis domûs,
Sacro munere vinctus
Arboris, auspicata.
Hoc Tibi Pallas adest cum præmio,
Suadam melliflui oris,
Mellifluâ coronans
Jlice: quâ potior sis Romuli
Augustiq; triumphis,
Laudibus & Camilli,
Jsta tenent nitidum te munera.
Virtus ista meretur,
Plena fauis Mineruæ.
Delicium Charitum, Stöæ iubar,
Et suada es Ciceronis,
Condita melle dulci.
Præsciit hoc Tua munus Laurea
Docto fontis ab aluêo,
Nectare plena Phœbi.

Sis igitur docili cum munere
BRZYKWINI viridantis
Jncola Magne Pindi.

VI. V. D. CASIMIRO JOANNI HORNASKI,
CORONAM HEDERACEAM Donat.

Hanc fuisse Poetarum insigne placuit Horatio. Tali Coronâ redimitum Alexander Magnus ex Indijs reduxit exercitum, Plin. 16. cap. 34. Est autem nihil præstantiùs, si cum Lauro teratur, gratum enim ignem excitat, ait Plin; lib. 16. cap. 40.

LEMMA. Te doctarum hederæ præmia frontium
Dîs miscent Superis, *Horat. lib. 1. Ode 1.*

ROscida Pierii qui carpis serta vireti
Aut Helicona scandis,
Inq; sacrum Lauri nemus, Aonidûmq; Sororum
Adproperas in vmbras,
Cur hederam sortire? Hedera est gratissima Iaccho
Primaq; ei corona.
Pieridum vesana lues, Phæbiq; sepulchrum,
Bacchica serta sunt hæc.
Gloria Pelei iuuenis Laudata per orbem,
Si tibi pectus altum
Excitat; auripotens quam cesserat India, magnis
Iam Macedûm triumphis.
Hoc equidem volupe est. sed Te capit armipotentis
Auspicium Mineruæ.
Otia Lenæi ventosaq; vela Thrasonis
Te procul esse noui.
Nec benè conueniunt Bacchus, Bellona, Minerua,
Atq; hederæ corona.
At si laurigeri non spernis serta decoris
Quêis Tua Musa præstat.
Excutiunt tremulas Lauru Parnasside trita
Igne micante flammas.

Marcida

Marcida cum foliis sustollunt colla caducis,
Dantq; decus Poëtis.
O quæ, delicium Phæbi, Te fama loquetur
Liberiore buxo?
Nùm Tua nos fugiunt. HORNASKI dogmata Musæ,
Quin hederâ notentur?
Ad Cytharæ numeros pronus, Suadæq; Sophiq;
Pulcher honos haberis.
Quid lauru tritâ crepitantem sistere flammam
Cogis? ad astra tendat,
Tendat & illa Tui capitis laurumq; hederamq;
Irradiet virentem.
Gloria Teq; ferat Lechico super orbe perennis
Altiùs ad coronam.
Princeps ergò Tui sis opto gloria Phæbi,
Laurigeriq; cætûs.

VII. V. D. MARTINO DRYAKOWIC, Craç:
CORONAM ARIADNES dicat Poëta.
Hæc erat nexa è flore qui vocatur Thesius, de quo Theophrastus: quam muneris ergò Ariadne á Theseo cui nupserat acceperat: & ab eodem inter Phænomena Cælestia cum corona referri meruit. De quo Proper: lib: 3. Testis Sydereæ torta corona Deæ.
LEMMA. *Hunc* ex Ariadnæo sydere nosse potes.
Ouid. 5. Fast.

JLlatum superis Numine prospero
AVGVSTVM nitido corpore credidit;
Cæli posteritas quòd pia viderit
Circumferre faces. Sic Phrygius puer
Aspectu roseo promeruit polos.
Sic dici meruit Nobile Gnosias
Sidus, Tyrsigeri munere Numinis.
O quot DRYAKOWIC optime Te ambiunt

 Virtutum

Virtutum species! quot Tibi nobiles
Augusto resident pectore Gratiæ!
Si quot possideas indole fertili
Musas; tu referas tot diademata,
Deberet pietas cedere Dardani,
Numæ Relligio, Candor Aristidis.
Pallas docta suum, magnus Apollo quem
Dicunt; quem Charites delicias suas;
Nectentes manibus serta virentia.
At nunc Cœlicolûm quod tibi lucida
Donum tecta ferunt; sume; micantibus
Cinctam Sideribus, virginei mitram
Fulgentem capitis, Daphnide Gnosiâ,
Quæ latè rutilis fulgurat ignibus.
Hæc Te jam faciet per Superûm sacras
Præfulgere domus. Gnosiacum velut
Sidus mille faces proijcit aureas.
Cûi Tu perpetuis æmula laudibus,
Mansuræ referes Nomina gloriæ;
Musarumq; Chorus, Te redolentibus
Sertis conspicuum, Craciacis dabit
Spectandum Cathedris, omine dextero.

VIII. V. D. MARTINO MIELICKI,
CORONAM OLEAGINEAM offert.

Arbor hæc Mineruæ sacra erat, teste Plinio, lib. 2. *Georg.* Palladiâ gaudent Syluâ viuacis Oliuæ. *Hâc Coronâ Athenienses victores suos coronabant. Plin. lib.* 15. *c.* 4.

LEMMA. - - - Honos est
Vndique decerptam fronti præponere Oliuam.
Horat. lib. 1. Ode 7.

Æt'a

ÆTas arboribus prisca virentibus
Pinxit continuò Numina singulis.
Laurum Latoides; Aonio Patri
Frondes Esculeæ scripserat arboris.
Cyprum myrthus habet. Frugibus optimis
Est fæcunda Ceres. Sed Deus Arcadûm
Pinum iure suis poscit honoribus.
At sertum quoties perspicio tuum
MIELICKI, teneræ sentio Palladis
Curam, bacciferi volvere germinis.
Sed Te vel teneat Mater Athenea
Pallas; vel subeas Tu iuga Phocidos;
Certe! vtrumq; Tuæ debeo Laureæ.
Verè Cecropiæ Tu soboles Deæ.
Te Pallas genuit. Pallas habet suum.
Et Tu belligeræ munia Palladis
Implêsti; Lechicum dùm Tua Principem
Oris concelebrat Gratia mellei;
Quòd Moschi rigidis arma Trionibus,
Victricesq; Aquilas, signaq; prospera,
Volgæ, barbaricis partibus inferat.
Ergo vtroq; potens, sis tuæ amor Deæ
Signo conspicuus Pallados arboris,
Ingressurus ouans in penetralia
Musarum. Hac vireas perpetuò arbore.
Virtutes oleæ si referas Tuæ;
Nunquam cum folijs arboris occides.

IX. V. D. THOMÆ NYKOWSKI,
CORONAM GRAMINEAM, dedicat.

Ex gramine necti sueuit; & erat spectatissimum virtutis insigne, omnibusq; omnium de coronis Scriptorum iudicio nobilissima, Rosin. Gen. die: lib. 2. cap. 10. Hinc Stati 6. Theb. Proxima gramineis operosior area sertis.

LEMMA. Fortibus ac doctis meritò Orbis porrigit herbam.

BEllipotens famam dissectâ Gorgone Perseus
Restituit templis bellica virgo tuis.
Orbe tulit toto cæsis Tyrynthius Heros
Monstris, æternum dedecus orbe tulit.
Ergò celebratæ retulerunt præmia Spartæ,
Dum petijt superas gloria parta domos.
At nunc cerno operis quæ sunt solatia nostri?
NYKOWSKI munus quod manet acta tua?
Cinxerat innumerum iuuenilia pectora virus.
Vrtica vt viridem feruida cingit humum.
Jrrepsêre animum vitij denso agmine monstra;
Hostis vt immissus mœnibus esse solet.
Pallade quid faciat satus alto robore miles?
Non animum passus morte perire suum;
Jpse sed arrepto perstrinxit acinace Lernam
Pestiferamq; tulit Gorgonis arte luem.
Mascula virtuti donauit pectora; moxq;
Jnnocuas studij iussit adesse Deas;
Doctrinæ vario firmans præcordia cultu
Effecit mentis Libera tecta suæ.
Non equidem Pœnus, non sic Catilina furore
Feruet; vt internè si ferus hostis adest.
Fulmina bellorum Scipiones, quid peto habetis?
Vt victrix vobis gramina Roma ferat?

Hæc

Hæc potiùs doctis insignia cedere fas est
Ritè THOMA Tuus hæc; nunc mage poscit honos.
Rumpe moras, frontemq; exporrige, porrigit herbam
Ornatura Tuum Laurea nostra caput.

X. V. D. ALBERTO MACHCINSKI,

CORONAM QVIRINI porrigit.

A Romanis in Æde Cereris è spicis nexa, appensa fuit hæc Corona, vt Horat: Lib: Epod: testatur: Spiceâ donet Cererem Coronâ. Primus omnium Romulus cum cæteris fratribus Arualibus ab Acca Laurentia tali Coronâ donati sunt.

LEMMA. - - - Trabeam, & diadema Quirini
Et Fasces meruisti. *Iuuen. Sat. 8.*

QVi Tuis Sacram meritis Coronam
Inspicit prudens oculis, notatq;
Iure deberi Tibi Laureatum
Censet honorem.
Vber hic fructus Charitum fauore
Prodijt; pinguisq; scientiarum
Messis, ad mentem egregium colonum
Lætificauit.
Fertilis docto sua sit Columbo,
Nuper inuenta Hispaniola Ponto;
Sæpè granorum referente spicâ
Millia bina
Quæ Tuæ menti docili dedêre
Grana doctrinæ, Aonides sorores
Docte MACHCINSKI, mage ditat ingēs
Copia Musas.
Fundis insignem per amœna fandi

Copiam

Copiam prata. Ingenio stupendus,
Vt subiisse haud te doleat Mineruæ
Arua Polonæ.
Spiceo primus redimire serto
Romulus sueuit caput; ista non Tu
Arduo curas animo, sat amplo
Munere plenus.
Quòd Tibi tantum decus in Corona
Euenit, quantum placuit Mineruæ,
Iure tot Musas sapies, quot insunt
Grana Coronæ.
Ergò laudati Trabeam Quirini
Sume nunc Lætus, diadema, fasces
Omne victricis decus ipse gentis,
Dignus habere.

XI. V. D. MATTHIÆ STANISLAO ZYGMVNTOWIC
CORONAM HYACINTHINAM Dedicat.

Ex Flore Apollini sacrato Hyacintho Stat: lib. 2. *Erat Hermoniensibus in Sacris Chtoniæ Deæ, vsitatus Coronis hic flos teste Pausania. De quo Rodig. lib.* 27. *c.* 26. *vnde Apollo Hyacinthum sic affatur.*

LEMMA. Semper eris mecum, memoriq; hærebis in ore.
Apud Ouid: lib. Metam: 10. fab. 5.

TE quoque condigno cinxit cum Lemmate serto
Phæbus, Pegasei gloria magna chori.
ZYGMVNTOWIC amor, genuinaq; cura Mineruæ
Craciæ, & Clarij vera propago DEI.
Quæ capis, Actiaci fuerant lectissima Vatis
Munera: pars Phæbi flos Hyacinthus erat.

Sed

Sed quæ virtutum ? quæ gloria pulchra Tuarum
Sit dotum ? quam non Flos tener iste notet?
Est in odoriferis flos, hic gratissimus herbis:
Est tua Castaliæ Laurea grata Deæ.
Est decus Elsiijs splendens Hyacinthus in hortis;
Docta nitent Charitum dùm colis arte juga.
Inscriptos folijs Hyacinthus pandit amores
Phæbi: qui inscripsit pectora docta tibi.
Sacra Dijs solitus pulchris ornare coronis:
Ipse tibi Phæbus, jam sua serta dedit.
Semper eris Phæbi, memoriq; hærebis in ore;
Fronte corona, Tuo pectore Phæbus erit.

XII. V. D. FRANCISCO ANATHIDI,

Corona Nemea.

Nectabatur ex apio, cui honos erat in Achaia coronare victores sacri certaminis Nemeæ. *Plin. lib.* 16. *c.* 13.

Lemma. Gaude Palladiæ Te apium meruisse Coronæ.

Vittatos Nemeæ desine vertices,
Enarrare pio carmine tibiæ,
Sècli prisca vetustas.
Non sic fulget honoribus,
Quisquis magnanimis irruit ausibus,
In fatale necis funus; & aspera
Fortis pertulit Heros,
Magnis prælia nisibus.
Maior Pierijs parta laboribus
Merces, emeritæ nectitur indoli,
Cùm doctâ sibi fronte
Æternum peperit decus.

Oblitusnè Tui Nominis? Inclyta
O doctæ soboles Pegasidum Deæ?
Nî Te digner honore,
Sacri prælij ***ANATHIDA***
Victor; cûi domita est Hydra periculis
Centum, tot vitiorum. Hinc Tibi protinus
Acclinata modestis
Assurgunt iuga laureis.
Ergò perge, nouis Tu quoque honoribus
Dùm Te sacra manus cingit Apollinis;
Augustum specioso
Præcingens apic caput.

XIII. V. D. JOANNI GĘZICKI, CORONA SYMBOLICA.

Bion Boristhenites, cùm graui morbo decumberet iussisse perhibetur, præ foribus domûs suæ geminas imponi coronas, alteram ex Rhamno, alteram ex lauro textam, quo facto indicabat, eum qui vellet possidere Laurum Sapientiæ, per spinas laborum tendere deberc & Rhamnum patientiæ.
Laertius in votis Philos.

LEMMA. Conjunctim retinentur vtræq;.

RES arcana latet, lauri sacrata quòd inter
Serta, acres spinas misceat vrna tibi.
Grata dedit cunctis; Tu cur ingrata tulisti?
Æqua fuit cunctis; sed minùs æqua tibi.
Gramina vitamus, quando latet anguis in illis,
Pungit te spinis, dùm legis vngue Rosam.
Tuque venenatam vitabis fortè Coronam,
Ne capiti faciat vulnera, spina tuo

Parce

Parce precor! capitis decus est, hæc, Magne GĘZICKI,
Spina labor tuus est, Laurus honoris opus.
Peruia non adeò hæc Laurus, facilisque fuisset,
Ni Tibi sollicito parta labore foret.
Hæc Diuæ Themidis sacrum penetrare volumen
Te faciet; capiti fac sit vt apta Tuo.

XIV. V.D. CHRISTOPHORO FRANCISCO SOWINSKI
CORONAM PALMEAM Dedicat auctor.

Ex Arbore Musis sacrata referente Iust: Lips. Inclyta Palladiæ aspiras ad præmia palmæ. *Licet autem palmearum coronarum vsus fuerit varior, non repugnat tamen, ex ea sertum fieri posse: imò in certaminibus sacris, alias quidem viritim, at palmeas vniuersim dari solitas fuisse Coronas, dicit Cælius. Rodig. lib. 5. ant. Rom.*

LEMMA. Vendicat ipsa viro dulcis facundia palmam.
Sabell. Poëta.

TOrquetur vario texendi Musa coronam
Dùm mea consilio; longasq; recurrit ad artes;
Ingenium, dotesq; Tuas dùm Magne SOWINSKI
Fertq; refertq; animus: nondumq; exacta voluntas
Quid faciat? contexet quid tantâ indole dignum?
Ecce mihi tardo dulcis Polhymnia gressu
Ante oculos stetit; & roseo ore, en accipe! dixit:
Hanc capiti mihi dilecto fac pone SOWINSCY.
Suspicio! viridis palmæ tulit illa Coronam
Arte laboratam cælesti, atq; annuit ipsi.
Quo Dea, quo Tua Te virtus dignata SOWINSKI,
Hoc ego nunc Musis sacratum dignor honore.
Accipe dona Tibi; dulcis facundia quêis Te
Condocorat; palmamq; Tui præferre laboris,

Sit Tibi pulcher honos ; sit laudatissima merces,
Quæ Tibi perpetuo vireat speciosior æuo.

XV. V.D. LAVRENTIO WESOŁECKI.

CORONA PÆSTANA

Hanc Musis offerri consueuisse adnotat Cælius lib. antiq. lect. 27. cap. 26.
Hinc Mart : lib. 1. Pæstanis rubeant æmula labra rosis.

LEMMA. Pestanæ excedunt laurea serta Rosæ.

Pamph.

EXpectem varijs quoad
Æstas luxurians floribus, adferat,
Sertis materiam meis ?
Quæ apponam capiti WESOŁEVI Tuo,
Magnum insigne Laboribus,
Testemq; ingenuo pectori & indoli.
Virtutum sed amabilis
Hortus nobilium, cum vario Tibi
Morum flore decoro adest.
Hinc iam purpureas colligere in Tua
Fas sit serta mihi, Rosas;
Quêis fulgens adeas culmina rectiùs
Parnassi : atq; scientiæ
Fontes ore pio dulciùs haurias.

XVI. V.D. REMIGIO ANDREÆ SVSZYCKI,

CORONAM ISTHMIACAM deuouet Poëta.

Ex ramis Pini, Cybele Deorum Matri sacram : de qua Virg. lib. 9. Pinea sylua mihi multos dilecta per annos. *Erat autem summi honoris insigne, quas coronas in ludis Isthmicis, ad Neptuni delubrum inter Ægeum & Ionium*

Ionium mare Theseus æmulatione Herculis præfixit Plinio atteſtante lib: 16 cap. 20. Hæc Arbor cariem non ſentit. Idem. Eiuſdem Arboris corona Pani Deo tribuitur, Alex: ab Alex. lib: 4. cap. 17.

LEMMA. Et tu Siſyphio fundaſti nomen ab Iſthmo. Syll: lib: 14.

POſt arduam certaminum luctam, ſibi
Heroa virtus Iſthmium poſcit decus
Necti; probant vetuſtiora ſecula.
Hæc vna nempe dos fuit magnæ Indoli
Suo potiri honore; quem caſti rubor
Tinxit cruoris. ſæpè proſtrauit furor
Briareum Daretæ, vt auguſtum caput
Micaret oſtro. Sæpè victor Hercules
Luctatus, amplis præmiis ſuperbiùs
Tumet. Tuus nùm nos latet doctus calor?
Amica Stoæ cura, magne nominis
Speiq́ ſanguis? Diua quem Themis regit.
Dùm melleâ pro legibus facundiâ
Coram Senatu literato perſonas;
Arceſq́ amata iurium vetuſtaq́
Delubra conuelli, dicata Palladi;
Momenta Regnorum, & baſes firmiſſimas.
Aſtræa nempe lacte fouit Te pio
Dilecte SVSZYCKI. Proin Deæ vocat
Te amor colendæ. Tanta ne virtus tamen
Honore deſtituta ſit; Tuo volo
Illuſtre fænus eſſe honori; Iſthmiacam
Frontis Tiaram: qualis eſt Magno data
Pani Corona: hanc Entheus vates vouet
Quæ fata neſcit; Teq́ Faſtis inſerat.

XVII. V.D. JOANNI DVTKOWSKI,
CORONAM CYNNAMEAM offert,
Coronas ex Cynnamomo, Interrasili (seu pluribus rimis intersecto (auro inclusas, primus omnium in templis Capitolij & Pacis dicauit Imperator Vespasianus, teste Plin: lib. 12. c. 9.

LEMMA. Jnclyta per quasuis redolet sapientia rimas.

EFfeta prisci Nomina seculi,
Et peierantis monstra proteruiæ.
Exeste; sueta olim profanâ
Futilium simulacra Diuûm
Ornare lauru. vos diademata
Fertis Deastris, poplite supplici,
Arasq;. Panchæis Coronis
Thureq; vos colitis Sabæo.
Arce profanum Phæbe piaculum,
A sanctioris mentibus ordinis;
Non saxo honos sit; sunt aperto
Pectora candidiora cœlo.
Est æquitatis, peruigil atq; amans
Pubes Honesti: Rectiùs indoles
Præstans meretur destinatum
Jngenio capitiq; cultum.
Hoc eruditum poscit Atheneum
Hoc festa passim vota Quiritium
Vouent coronari; anxias vt
Gratus odor recreare mentes
Honorq; possit. Mulcet amænius
Conchyliatâ Cynnamomum aureæ
E luce rimæ; quod Deastris
E solio dicat Jmperator.

Sed

Sed non profanis auget honoribus
Te Musa Craci, dum Tibi cynnama
Offert odorata, & fragranti
Pulcher honos redimit Coronâ.
Musis amicum pectus, & indolem
Maturiorem, quò redolentibus
Spires scientiarum odorem
Doctaq; dogmata Cynnamomis.

XVIII. V.D. ADAMO NICOLAO JARONSKI, CORONA PANACEA offertur.

Aurelianus Imperator coronas confecit de Panibus, qui Saliginei dicebantur: Voposco attestante in eius vita.

LEMMA. Gloria Musarum est, quòd doctos Pane coronent.

ET Te Pierij sors bona Climatis,
Inter doctiloquos Castalidum choros
Legit; fertilibus dùm Tibi adoreis
Frontem Musa reuincijt.
IAROVI, soboles intima Palladî,
Dignus Panaceo syrmate cingier
Dulcis Pegasidum fautor, & vnicæ
Docti pectoris hospitæ
Virtutis solidus cultor, & artium.
Gaudet Palladium se speciosiùs
Incingi caput; & tollere nobilem
Gessit frontis apex Mitram.
O quàm dulce solum diuitis ingenî!
Quàm fæcunda seges pullulat vberis
E docto genij vertice: quam Tua
Versat lux sâpientiæ!!

Ergò

Ergò conspicuæ munera Palladis,
Lætus fertilium prendere germinum
Sertum fac citiùs, quod Tibi nobilis
Sudor parturit ingenî.

XIX. V.D. ANDREÆ AVGVSTINO CZYRZYCKOWIC
CORONA CÆLESTIS offertur.

Vulgò dici solet Halo qui collucens ex Sidere emicat, Arist: tom: 3. pag. 374. Aliter vocatur Circulus albicans circà Solem aut Lunam, Idem L. Meteor. lib. 3. c. 9. Plinius tamen Coronam vocat, quòd Sidus quodlibet circulariter redimit.

LEMMA. - - - - refers
Radiosa morum Lumina Sanctorum. *Mant.*

CLara CZYRZYCKI Charitum propago,
Atq; Cyrrhæis amor ipse Musis,
Delphici cætûs adolesce nostris
Gloria plectris.
Ista Te pridem decuit corona,
Quæ relucentis specie nitoris
Panderet cunctis NITIDA INNOCENTVM
LVMINA MORVM.
Cûi decor frontis, niueæq; candor
Mentis interpres, faciles recludit
Oris aspectus, reseratq; cunctis
Pectus eburnum.
Tùm probi mores, agilesq; Suadæ
Atticæ motus, grauiorq; iustò
Sermo subtili micat ore, Phæbo
Digna perorans.
Inde virtutum pia turba, claram

Explicet

Explicet Lucem, radiesq; cultis
Moribus, Musæ decus & coronæ
Splendor amænæ.
Jte selectâ sociæ cohorte,
Jte virtutes, cumulate Laurus,
Atq; festiuis resonate plectris
Læta Camænæ.

XX. V.D. JOANNI CHRYSOSTOMO WIDYNSKI CORONA STELLATA dedicatur.

Quam circà Solem fuisse visam tempore Augusti memorat Paradeianus. Et Quinct. Poe. facit mentionem, Strinxerat auratos stellata Corona Capillos.

LEMMA. Stellis inserêre & consilio Jouis.
Hor. Carm. lib. 1. Ode 1.

QVis ille casto Sicelidum choro
Se miscet? amplum stelliferæ decus
Sedis; renidens fax Olympi,
Astriferiq; iubar Trionis?
Agnosco: gentis prodiga gloriæ
Vidynsciamæ sunt diademata,
Claroq; virtutis serenæ
Lumine subradians corona.
Hêu si tenellum Cynthia Latmium
Insculpsit astris, debita Cælicæ
Matheséôs scientiæ dans
Munera, stelliferas Coronas,
Si quòd polorum Cœlipotens Atlas
Calleret artem, sydera brachijs
Narratur altis sustinere,
Ætheriasq; domos tueri.

Quo Te locabo sydere prosperum?
Aût quo decorum nunc diademate
Reddam Matheseôs peritum
Vraniæq́ caput Sacratum.
Ingressus arcis Limen Olympiæ,
Potire felix CONSILIO JOVIS
Stellis WIDYNSKI, sedibusq́
Culminis Empyrei inserende.

V. D. IOANNES LOCHMAN,
V. D. BLASIO JGNATIO KRAVZOWSKI
Concandidato suo charissimo Coronam Gymnicam *in censum gratitudinis offert.*

De hac antiquitùs Poëtæ in agonibus, ingenij viribus certabant teste Ioan: Rosin: antiq: Roman: lib. 5. c. 8. Sic Coryma Poëtrix cum Pindaro dicitur contendisse, & victrix Thebis euasit. Sic Hesiodus cum Homero certauit, quo superato Epigramma cum Tripode in Helicone posuit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 29.

LEMMA. - - - Sumptam de fronte Coronam
Emeritis immisit. *Ouid lib.* 1. *Metam. fab.* 8.

PRende KRAVZOWSKI stephanoma clarum;
Dux Camænarum tibi Phœbus ipse
Lætus applaudit, caput ornat amplo
Agmine florum.
Debitam Pallas meritis coronam
Nectit, vt victor celebres triumphos
Hostibus fusis, domitisq́ monstris
Marte secundo.
In graui virtus stadio, labores
Pertulit summos Tua, cum dolosum
Otium vicit, viridi Iuuentæ
Exitiale,
Turpe portentum, scelerum parentem,

Et

Et nimis æuam superauit Hydram,
Quæ bonas mentes Iuuenum cruentat
Nempe voluptas.
Vicit ignauum pecus, & furentes
Cordis angores, inimica tandem
Sustulit Musis, genijsq; doctis,
Tædia longa.
Ergò KRAVZOWSKI *cydarim virentem,*
Quam tibi defert Charitum corona,
Et phalanx formosa nouem sororum,
Prende, quid obstat?
Ipse Pimplææ dominator aulæ
Phæbus, ad culmen vocat altum honoris,
Et viam monstrat, modò promptus adsit
Pectoris ardor.
Ars opes pulchras tibi comparauit,
Dùm Caballino tua labra fonte
Irrigat, dulces vt ab ore fundas
Nectaris vndas.
Et parens natura tibi benigna,
Subministrauit pretiosa dona,
Ingenî vires, celeresq; motus,
Mentis acumen.
I bone, & quo te Tua summa virtus
Allicit, pulchrâ redimita lauro,
Grande laturus Patriæ iuuamen,
Præmia, quid stas?
Serta largitur pretiosa nobis,
Serta, magnorum decus hæc laborum,

Serta, virtutis, monumenta certa,
Serta, triumphi.
Nunc coronato tibi reddo vati
Gymnicum sertum, mea, quod Minerua
Elaborauit, precor vt sereno
Pectore sumas,
Quidquid affectus meus explicauit,
In bonam partem mea vota sume,
Candidi verax, animiq́ grati
Symbolon hoc est.

V. THOMAS NYKOWSKI
V.D. BLASIO JGNATIO KRAVZOWSKI
Symbolum boni affectûs contestatur.

DVm varias nectis variâ de fronde coronas,
Et satagis nostrum condecorare caput.
Hos tibi vernantes flores, & suauè rubentes
Aût Chloris, Florum contulit alma Parens:
Aût hortus dedit Hesperidum nitidissimus auro:
Aût Pæstum, roseo tradidit è gremio:
Aût dedit insignis gemmis viridantibus Hybla,
Aût misit suaues dulcis Hymettus opes:
Aût fors Alcinöi formosa vireta dederunt:
Aût quos, in manibus, pulcher Adonis habet.
Vt verum fatear, flores hos doctus Apollo
Ex Helicone tulit; debita dona tibi
KRAVZOWSKI referet pro tanto digna labore,
Præmia Doctorum laurea serta virûm.

In Stemma
Almæ Universitatis Cracoviensis



Regia Sceptra vides, quæ Regia Fascia cingit,
Regia nam res est, quam duo Sceptra regunt
Regia res pietas, Patriæ, seruire Deoq;
Donec stabit humus, Sceptra vigere dabit,

Adrianus Krobski, Ph. Aud.



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS

MAGNIFICI, PERILLVSTRIS,

ET ADMODVM REVERENDI DOMINI

ANDREÆ KVCHARSKI,

SS: THEOL: DOCTORIS ET PROFESSORIS,

ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRACOVIENSIS CANONICI,

Collegiatæ SS: Omnium Præpositi,

ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS

GENERALIS RECTORIS

VIGILANTISSIMI.

